

## § II.

DE BENEDICTIONE SECUNDARUM NUPTIARUM: ET DE PŒNIS SECUNDO NUBENTIUM.

31. *Benedictio nuptiarum, quid? Et a quo fieri debeat?* — Jam constat ex dictis, quod per benedictionem nuptiarum aliud non intelligatur, quam preces, et cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ in solemnitate nuptiarum adhiberi solitæ, can. 1, cau. 30, q. 5, quam benedictionem sanctam et laudabilem esse, definitum est a concilio Trident., sess. 24, de Sacram. matrim. can. 9, quod concilium ead. sess., cap. 1, de Reform. matrim., etiam statuit, jus benedicendi nuptias soli parochio loci competere, non obstante immemoriali consuetudine contraria; prout etiam supra jam dictum habetur. Hinc præcise hic de benedictione secundarum nuptiarum quæstio remanet.

32. *De jure, secundæ nuptiæ non benedicuntur.* — Quæritur I. An? et quando secundæ nuptiæ benedici possint, et debeant? Resp. I. Loquendo de jure, in secundis nuptiis non amplius adhibetur benedictio, sive ambo conjuges, sive alteruter tantum in priori matrimonio benedictionem jam susceperint. Abbas, in c. *Vir autem*, h. t., n. 3, et ibi Joan. Andreas, n. 2; Ancharanus, n. 1. Sanchez, lib. VII, disp. 82, n. 15, cum communi, arg. cit., cap. I et III, h. t., ibi: «Vir autem, vel mulier ad bigamiam transiens non debet a presbytero benedici.» Ratio hujus varie assignatur a doctoribus, sed optima est, quæ in cit. c. *Vir autem*, allegatur, quia videlicet benedictio semel collata semper adhuc durat, ibi: «Quia, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.» Iteraretur autem, etsi unus, non item alter jam esset benedictus, hoc ipso, quod benedictio illa utrique conjugi sit communis, prout loc. cit. bene advertit Abbas, n. 2, in fine, et ibidem Fagnanus, n. 6, præsertim cum uno conjugis excluso, alterius benedictio inconueniens, et contra morem Ecclesiæ foret.

33. *Bene vero alicubi de consuetudine, vel specialibus statutis: uti Frisingæ.* — Dicitur autem notanter de jure; quia de consuetudine aut specialibus statutis in pluribus diocesisibus etiam secundæ nuptiæ benedicuntur, saltem si unum conjugum, præsertim si sponsa adhuc nunquam fuit benedicta. Unde circa hoc inspicere oportet ritualia diocæ-

sana. In Frisingensi diocesi juxta rituale ejusdem, cap. IX, membro I, § 8, ita disponitur: «Caveat parochus sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperunt, eos in secundis benedicat.» Concedit tamen ibidem secundarum nuptiarum benedictionem, si vir secunda, uxor vero prima vice nubit: non item, si uxor, secunda et vir prima vice nubit.

34. *Benedicens nuptias secundas, quam pœnam incurrat?* — Resp. II. Quamvis plures apud Sanchez, lib. VII, disp. 82, num. 27, velint, quod sacerdos secundas nuptias benedicens, de jure incurrat pœnam suspensionis, arg. c. 1, h. t., ibi «Capellanum (quem benedictionem cum secunda constiterit celebrasse) ab officio beneficioque suspensum litterarum tuarum testimonio ad sedem apostolicam nullatenus destinare postponas.» Nilominus communior, et probabilior cum Abbate, in cit., cap. 1, h. t., n. 5; Sanchez, loc. cit., n. 30, docet, suspensionem non incurri, sed aliam pœnam mitiorem arbitrio ordinarii imponendam esse. Ratio est, quia pœna debet mensurari delicto, quod in præsentem non fieret; cum benedictio secundarum nuptiarum secluso scandalo sit delictum modicum, suspensio autem ab officio, et beneficio sit pœna gravissima. Ad cap. 1, h. t., respondetur, id intelligendum esse de casu, quo quis benedicit nuptias secundas, quando nondum constat de morte prioris conjugis, vel esse intelligendum de benedicente absque licentia legitimi parochi, arg. cit., cap. 1, h. t., ibi: «Capellanum, etc.» Cujusmodi benedicens etiam vi concilii Tridentini suspensus est, sess. 24, cap. 1, de Reform. matrim. (ADNOTATIO XCVIII).

35. *Pœne secundo nubentium aliæ sunt principaliter in odium secundarum nuptiarum statutæ: Et quæ?* — Quæritur II. Quæ pœnæ a jure civili statutæ sint contra secundo nubentes? Quæ item ex illis a jure canonico revocatæ sint, et quæ non? Resp. I. Varias pœnas a jure civili esse statutas in secundo nubentes, quæ duplicis generis sunt. Aliæ siquidem principaliter sunt statutæ in odium secundarum nuptiarum, vel nimis accelerati transitus ad illas. Aliæ vero principaliter sunt statutæ in favorem liberorum prioris matrimonii.

Primi generis, seu odium secundarum nuptiarum, vel nimis accelerati transitus ad illas sunt, quod vidua ante finitum annum

luctus ad secundas nuptias transiens I. Fiat infamis. II. Quod non possit titulo dotis, vel ultimæ voluntatis in secundum virum plus conferre, quam tertiam partem suorum bonorum, etiam sinulli extent liberi prioris matrimonii. III. Fit incapax cujusunque hæreditatis, legati, fideicommissi, et donationis mortis causa. IV. Amitit omnia a primo viro per ultimam voluntatem, vel donationem propter nuptias acquisita, tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum. V. Etiam ab intestato succedere nequit consanguineis suis ultra tertium gradum, textu expresso l. I, C. h. t., ibi: «Si qua mulier nequaquam luctus religionem priori viro nuptiarum festinatione præstiterit, ex jure quidem novissimo sit infamis: præterea recundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex testamento plus quam tertiam partem relinquat. Omnium præterea hæreditatum, legatorum, fideicommissorum, suprema voluntate relictorum, mortis causa donationum sit expers. Hæc namque omnia ab hæredibus vel cohæredibus, aut ab intestato succedentibus vindicari jubemus etc. His etiam amittendis, quæ prior maritus ei suprema voluntate reliquerit, etc.» Concordat., lib. II, C. eod.

36. *Aliæ sunt principaliter statutæ in favorem liberorum primi matrimonii. Nam, I. Uxor ad secundas nuptias transiens amittit omnia primo viro acquisita, eaque accrescunt liberis.* — Secundi generis pœnæ, seu in favorem liberorum prioris matrimonii principaliter statutæ, sunt sequentes. I. Quod vidua sive ante, sive post annum luctus ad secundas vel posteriores nuptias transiens amittat proprietatem omnium bonorum, quæ sponsaliorum, nuptiarum, liberalitatis, aut ultimæ voluntatis titulo a primo viro consecuta est, eamque liberis prioris matrimonii reservare debet, solum usufructu ad dies vitæ gaudens. Ita expresse statuitur l. III, C. h. t., ibi: «Femina, quæ susceptis ex priori matrimonio filiis ad secundas (post tempus luctui statutum) transierunt nuptias, quidquid ex facultatibus priorum maritorum, sponsaliorum jure, quidquid etiam nuptiarum solemnitate perceperint, aut quidquid mortis causa donationibus factis, aut testamento, jure directo, aut fideicommissi, vel legati titulo, vel cujuslibet liberalitatis præmio ex bonis (ut dictum est) priorum maritorum fuerint consecutæ, id totum ita, ut perceperint, integrum

ad filios, quos ex præcedenti conjugio habuerint, transmittant, vel ad quemlibet ex filiis (dummodo ex his tantum sit, etc.). Nec quidquam eadem femina ex iisdem facultatibus alienandum, in quamlibet extraneam personam vel successionem ex alterius matrimonii conjunctione susceptum præsumant; atque habeant potestatem possidendi tantum, atque fruendi in diem vitæ.»

37. *Idem reciproce est de marito secundo nubente.* — Idem reciproce de marito ad secundas nuptias transeunte dicendum est, ut videlicet acquisita aliquo ex præfatis titulo a defuncta conjugis, liberis prioris matrimonii relinquat quoad proprietatem, solo usufructu eorundem ad dies vitæ gaudens. Sanchez, lib. VII, disp. 89, nu. 10, cum communi, Bartolus, in l. *Femina*, c. h. t., nu. 2, et ibidem Baldus, in fine, cum communi et certa aliorum, textu expresso, l. *Generaliter*, §, prin. et § 1, C. h. t., ibi: «Iisdem casibus maritum quoque, quæ de bonis mulieris ad eum devoluta sunt, communibus liberis servare,» prout magis adhuc, et clare statuitur, § 1, ibid. Ratio est, quia liberorum favor in patre æque, ac matre procedit.

38. *II. Secundo nubens non potest secundo conjugii plus deferre, quam uni ex liberis primi matrimonii.* — II. Quod vir, vel mulier ad secundas nuptias quocumque tempore transiens, nullo titulo sive dotis, sive donationis propter nuptias, sive sponsalitiæ largitatis, sive ultimæ voluntatis, sive quovis alio titulo plus in novum conjugem conferre possit, quam in unum ex liberis prioris matrimonii; et si inæqualis divisio bonorum in liberos prioris matrimonii facta est, non plus, quam in illum, qui minimum accepit. Rursus communis ac certa, textu claro l. *Hæc edictali*, 6, prin. et l. *Cum apertissime*, 10, c. h. t.

39. *III. Mater non item pater ad secundas nuptias transiens amittit tutelam liberorum.* — III. Est quod mulier secundo nubens amittat tutelam liberorum prioris matrimonii, textu expresso l. *Matres*, 2, et l. *Authentica. Sacramentum*, et l. fin. c. *Quando mulier tutelæ. Officio*. Item perdit etiam curatelam, l. *Quod si nolit*, 31, § 14, ff. de *Ædilit. edict.* Hæc tamen pœna non stringit patrem secundo nubentem, ut bene advertit Sanchez, l. VII, disp. 88, num. 12. Imo existente patre non datur liberis tutor, nisi eosdem emancipet, l. *Si infanti. c. de Jure deliberand. ma-*

netque pater legitimus administrator gaudens usufructu bonorum maternorum filiis quoad proprietatem competentium, l. *Generaliter*, §, prin. *¶. Negotia*, c. h. t., et l. fin. *de Bonis Matern.*, ibi: « Patres igitur usufructum rerum maternas, etiamsi ad secundas nuptias migraverint, sine dubio habere debebunt. »

40. IV. *Mater secundo nubens privatur jure educandi liberos, et quomodo?* — IV. Est, quod mater secundo nubens amittat educationem liberorum, ita ut ab ea separari, et in alio loco pro educatione collocari possint, et exigentibus circumstantiis etiam subinde debeant, l. I, *Ubi pupilli*, ibi: « Educatio pupillorum nulli magis quam matri eorum, si non vitricum eis induxerit, committenda est, et Novell. 22, cap. xxxviii, » ibi: « Mater fide dignor ad filiorum educationem videbatur, dat ei etiam hoc nisi ad secundas accesserit nuptias, juncta Novell. 117, cap. vii, » ibi: « Si mater ad secundas nuptias non venerit, apud matrem nutriantur; » ergo a sensu contrario si ad secundas nuptias venerit, educatio liberorum alibi fieri potest, et subinde etiam debet.

41. Disputat autem multum pro, et contra Sanchez, lib. VII, disp. 88, num. 16, 17 et 18, an mater secundo nubens absolute privetur jure educationis liberorum; an vero solum et præsumptione juris habentis eam pro suspecta; consequenter si ex conjecturis mater, et vitricus ab omni suspicionem immunes videntur, liberi apud matrem (si velit) educandi, sunt relinquendi? Resolvit tandem num. 17, hoc ultimum, videlicet quod jura ex præsumptione, et suspicionem adimant matri educationem filiorum, et in dubio pro hac præsumptione standum sit: ubi vero conjecturæ, et circumstantiæ matrem, et vitricum ab omni suspicionem eximunt (quod judicare ad judicem pertinet) matris educationi liberi præ aliis relinquendi sunt, arg. l. I, c. *ubi pupilli*, ibi: « Quando autem inter eam, et cognatos, et tutores, super hoc orta fuerit dubitatio, aditus præses provinciæ, inspecta personarum qualitate, et conjunctione pendet, ubi puer educari debeat. »

42. Verum alii apud Sanchez, loc. cit., volunt, matrem secundo nubentem absolute privatam esse jure educandi liberos, ita ut quantumvis honesta existente matre et vitrico, alibi educandi collocari valeant, per jura n. 40, allegata. Ad textum ex l. I, c.

*Ubi pupilli numer. præced.* allegatum respondent, eum esse intelligendum de casu, quo mater vidua permanet; ita ut si ipsa existente vidua inter eam et tutores, aut consanguineos lis moveatur, ubinam educari debeant liberi, iudex inspectis circumstantiis pronunciare debeat; potest enim bene contingere, quod mater etiam vidua manens privetur jure educandi liberos, arg. lib. I, juncta Glossa *¶. Ex conditione*, et l. *Si discrepetur*, §, ff. *Ubi pupilli*. Quæ sententia inspecto jure sane valde probabilis apparet eamque tenent in cit. Novell. 117, cap. vii, *¶. Non venerit*; Ancharanus, Consil. 316; Menochius, *de Arbitr. Jud. Centur.*, 2, casu. 168, n. 10. Verum quia materia hæc ex professo Civilistas concernit, ipsos consule, vide tamen etiam de ipsa Sanchez, loc. cit.

43. *Mulier secundo nubens amittit privilegia honoris a priore conjugio habita.* — V. Est, quod mulier secundo nubens perdat privilegia honoris, et immunitatis ratione prioris matrimonii habita, gaudens in posterum solis privilegiis ratione posterioris matrimonii sibi competentibus, l. *Filii*, § 1. ff. *ad Municip.*

44. *De aliis pœnis secundo nubentium. Remissive.* — Plures alias pœnas vide apud Sanchez, lib. VII, disp. 88.

45. *Omnes pœnæ in odium secundarum nuptiarum principaliter statuta, sublatae sunt.* — Resp. II. Non tantum infamia, sed etiam reliquæ pœnæ in odium secundarum nuptiarum contra secundo nubentes sublatae sunt, jure civile, correctum est a jure canonico: prima pars de pœna infamiae est unanimis textu expresso c. 4 et fin, h. t., ibi: « Cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab ejus lege sit soluta, et nubendi, cui vult, tantum in domino, liberam habeat facultatem: non debet legalis infamiae sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessa tamen sibi ab Apostolo utitur potestate; cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari. »

46. Alteram partem de reliquis pœnis, num. 36, recensitis docent Sanchez, lib. VII, disp. 87, n. 23, vocans sententiam verissimam, Innocentius in c. fin. h. t., num. un. et ibi Joan. Andreas, n. 5; Abbas, num. 3; Ancharanus, num. 9; Pirhing, h. t., n. 8; Bartolus et Baldus cum communissima aliorum, quos vide apud Sanchez, loc. cit.,

et Gutierrez, loc. cit. Ratio est, quia, licet c. ult. et penult., h. t., de sola pœna infamiae fiat mentio, tamen causa principalis, ne videlicet libertas matrimonio a Christo in remedium concupiscentiæ concessa tollatur, etiam in aliis pœnis militat; ubi autem eadem ratio est, eadem legis est dispositio, arg. l. *Ideo*, ff. *de Legib.*

47. *Solvitur objectio.* — Dices c. ult. et penult. h. t. sunt correctoria juris; ego ultra expressa non sunt extendenda etiam ob identitatem rationis, arg. l. *Præcipimus* 32, c. *de Appellat.* et c. *Quæ a Jure de Reg. Jur.* in 6 cum concordantiis. Resp. Hæc jura limitari in casu, ubi est identitas rationis in lege expressa, uti in præsentibus: item quando aliud exigit favor publicæ utilitatis, vel animæ, prout amplius diximus, lib. I. tit. II, n. 422 et seqq., ubi vide.

48. *Pœnæ secundo nubentium in favorem liberorum statuta etiamnum procedunt.* — Resp. III. Secundi generis pœnæ in favorem scilicet liberorum statuta, et num. 35 recensita, a jure canonico nullatenus sunt sublatae, sed adhuc sunt in suo vigore. Gutierrez, *de Matrim.*, cap. cviii, num. 21; Sanchez, lib. VII, disp. 88, num. 39, dicens esse communem fere omnium, Innocentius, in c. fin. h. t., et ibi Hostiensis, n. 5; Joan. Andreas, n. 5; Ancharanus, n. 9; Covarruvias, part. II, *de Sponsalib.*, cap. iii, § 9, n. 5; Pirhing, h. t., num. 9; Engel, h. t., cum communissima aliorum contra Abbatem in c. *Ecclesia*, 10, *de Constit.*, n. 15. Felinum et alios paucos. Ratio est, tum quia regulariter correctio juris est odiosa, et ultra casus expressos non extendenda per jura num. præced. citata. Tum quia illæ pœnæ non sunt proprie pœnæ, sed potius beneficia et

favores liberis prioris matrimonii legitima potestate concessi, ob quos rationabiliter conqueri non potest pater vel mater, vel dicere, quod inde tollatur eorum libertas ad nubendum. Tum etiam quia nullus in toto jure canonico apparet textus, ex quo colligi posset dictarum pœnarum abrogatio. Imo ibidem potius fit confirmatio illarum, arg. c. *Ex parte*, 67, *de Appellat.* ubi pœnas amissionis tutelæ in l. *Matres*, 2, c. *Quando mater constituta* expresse confirmatur.

49. *Legatum sub conditione, si non amplius nubas, valet.* — Quæritur III. An licita et valida, consequenter observanda sit conditio, qua conjux conjugi ita aliquid legat: « Lego tibi hoc, si non amplius nubas. » Resp. Quamvis talis conditio habeatur pro non adjecta, si adjiciatur hæredi, vel legatario, qui nunquam adhuc nupsit l. *Quoties*, 22, l. *Cum tale*, § *Mævia*, ff. *de Condit. et demonst.* tamen respectu viduæ licita et valida, consequenter observanda est, ita ut, si legatum habere velit, cautionem præstare debeat legatarius, quod illud una cum fructibus iterum restituere velit, casu, quo ad alias nuptias transeat, Sanchez, lib. VII, disp. 91, plurimos alios citans, textu expresso Novell. 22, cap. xlvi et seqq. ubi etiam correctum est jus civile antiquum, l. II, c. *de Indicta viduit.* vi cujus hujusmodi conditio habetur pro non adjecta. Neque correctum videtur illa Novell. 22, a jure canonico præsertim, cum in potestate viri positum sit legare aliquid uxori, vel non; consequenter etiam sub conditione cæteroquin honesta, et per quam non demitur nubendi libertas, sed tantum sub conditione, si lucro et favore alias indebito frui velit. (ADNOTATIO XCIX.)